



121

peregrini res suas habent reservatas, et ad illas capsas utrimque dormientes tam in sinistro quam in dextro latere extendunt pedes. Sub peregrinis adhuc est concavitas magna, et profunditas usque ad galëae infimum, quod venter galëae dicitur, qui quidem non est latus sicut in aliis navibus, sed est acutus a prora usque ad puppim, ita quod galëa inferius habet acutum pedem, adeo quando non est in aqua, quod non potest super terram erecta stare, sed oportet eam in latere jacere: et ista acuitas navis arena plena est usque ad asseres, super quos jacent peregrini, et in ipsam arenam levatis asseribus sepeliunt peregrini vascula sua in quibus vinum habent, et ova et alia, quae frigore indigent. Porro inferius in loco peregrinorum juxta mali medium est sentina, non hominum immunditias colligens, sed omnes humiditates et aquae occulte aut patenter galëam subintrantes ad **(B)** sentinam illam distillant, et confluunt, et pessimus foetor ex ea exhalat, magis quam ex quacunque latrina humanorum stercorum. Hunc omni die evacuari oportet semel, sed tempore fremitus maris sine intermissione omnes aquas ex ea sursum trahere. Porro super margines galëae sunt loca aptata pro ventrorum purgatione. Tota galëa intus et extra est nigerrima pice linita, funes etiam, asseres et alia, ne ab aqua corrumpantur faciliter. Funes velorum et anchorarum partem magnam galëae occupant, quia sunt multae, longae et magnae in multiplici differentia. Mirum est videre multitudinem funium et connexiones et circumplexiones eorum. Galëa est quasi claustrum, nam locus orationis est juxta malum, superius ubi forum etiam est; refectorium commune est pars puppis media; dormitorium transtra galëotarum et cumbae peregrinorum. capitulum ex opposito coquinae: carceres sunt sub pavimento prorae et puppis, cellare, coquina, stabulum omnia patent supra. Et ita breviter multis omissis habetur galëae imago. Praeterea S. Jeronymus in epistola ad amicum aegrotum saeculum pelago comparat, claustrum navi, et in moralem partem traducit, dicens: est saeculum ut mare, quod est impatiens natura, et sine ventis inflatum, erigens in ipsa tranquillitate minaces atque terribiles fluctus, quod licet sessorum non noceat suos, habet tamen aliquid formidinis etiam innoxia

136

134

140

130

145

125

185

085

235

035

Ende

Anfang